



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 122. Cæsar datis ad Papam literis Synodum Tridenti celebrari  
consentiens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

seu Tridentino, seu in Italia Concilio re-  
 pugnaret, vehementerque præter mo-  
 rum emendationem sibi etiam concedi  
 præfatos duos articulos de usu calicis,  
 & Sacerdotum matrimonio deposceret,  
 tunc Pii IV. jussu Nuntius Cæsari re-  
 spondere jubebatur, quod decentiæ  
 legibus repugnet, ut Pontifex ejusmodi  
 res concedat absque consensu, & sen-  
 tentia omnium Nationum, cunctorum-  
 que Principum Christianorum, ad quos  
 hi articuli spectant.

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1560.

§. CXXII.

*Cæsar datis ad Papam literis Syno-  
 dum Tridenti celebrari  
 consentiens.*

Enimvero hic Nuntius sua legatione  
 non sine prospero successu defunge-  
 batur; quippe Cæsar die decima septi-  
 ma Octobris ad Papam literas dedit,  
 in quibus generatim dilaudato pio Pon-  
 tificis consilio de convocanda Synodo  
 difficultates, quas illi in Triden-  
 tina urbe indicendæ obstare arbitra-  
 tur, repetebat, nihilominus tamen  
 cujuscunque urbis electionem Pontificis  
 arbitrio, prout ipsi bene visum fuerit,  
 relinquebat. Has literas Pius IV. Mas-  
 sarelum, qui Synodo a secretis erat, in  
 pleno Purpuratorum consensu recitari  
 jussit, censuitque etiam Cardinalium  
 sen-

*Pallav. hist.  
 Conc. Trid.  
 l. 14. c. 17.  
 n. 1. & seq.  
 Diar. Conc.  
 17. Octobr.  
 1560. apud  
 Burghef.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.  
sententia suffultus, quod Hispaniæ, & Franciæ Regibus Cæsari aquiescentibus, sine ulla mora Concilium Tridenti celebrandum indicere posset, ne ex tergiversatione Religio periclitaretur, ac indies magis, magisque labefactaretur: præterea sibi persuasum habebat Papa, quod Tridentinæ urbis electio in ampliore Ecclesiæ auctoritatem, majoremque priorum decretorum firmitatem redundaret, cum ab iis, quæ antea Tridenti sancita erant, nullatenus recedere vellet, veritus, ne Religioni præjudicium exinde inferatur: eapropter de Cæsaris, Hispaniæ, Franciæ, & Lusitanæ Regum, necnon Veneti Senatus, ac Helvetiorum Catholicorum consensu certus die decima quinta Novembris rursus publicum Patrum conventum habuit, in quo Cardinalibus proposuit, quod Principes pro futuri Concilii Sede Tridentinam urbem communi suffragio comprobassent.

## §. CXXIII.

*Annus Sacer a Papa indictus.*

*Pallav. 6. 17.*  
*num. 2.*

*Spond. hoc*

*ann. 11. 19.*

*Diar. Ma-*

*gist. cerem.*

*& Conc.*

*A. Nov. 1560.*

Eadem die Pontifex Anni Sacri solemnitatem per Universum Orbem promulgari præcepit, eo fine, ut pro felici operis pii æque, ac necessarii, multisque votis exoptati successu necessariæ gratiæ a Deo obtinerentur: porro eum in